



**I**acobus Argentinae natus et educatus fuit. Is cum in patria Grammatices fundamenta iecisset, sese ad academias contulit, & Heidelbergae humanioribus literis atque Graecae linguae magna diligentia incubuit. hinc factum ut artium Magister & Poeta insignis constitutus fuerit. Postea in eadem schola docuit publice, & magnum sibi pietatis & eruditionis nomen comparauit. Id cum Frackfordiani intellexissent, eum liberali stipendio oblato ad se uocarunt anno 1527, & suae scholae praefecerunt. Vbi etiam magna laude per annos 20 mansit, & iuuentutem optime instituit. Cum autem scholasticis laboribus obrueretur, atque Heidelbergae Euangelij doctrina re-

ciperetur, circa bellum Smalkaldicum 1546 Heidelbergam redijt, & Graecae linguae professor constitutus fuit. Scripsit Iacobus uaria Graeca & Latina Epigrammata, Luciani aliquot dialogos Latine reddidit, & de re Metrica opus consummatum edidit, cum multis alijs opusculis quibus rem literariam plurimum iuuit & auxit. Tandem cum per decennium ibidem magna laude perseuerasset, senex obiit, & Ioannem Xilandrum (qui Basileae gradum Magisterij adeptus erat) uirum doctissimum in Graeca professione successorem habuit.  
Con. Gess.